

tandem indignatus dimisit a se omnes, inter quos erat et Diogenes. Quum vero hic, incensus magno audiendi philosophi studio, ad eum tamen ventitaret, eique adhaereret pertinaciter: minatus est Antisthenes, se percussurum illi caput baculo, quem solebat manu gestare: et his minis non territum, reipsa percussit aliquando. Non recessit propterea Diogenes, sed animo obstinato ad imbuendum pectus philosophiae praeceptis: *Percute*, inquit, *si ita placet; ego tibi caput praebeo: neque vero tam durum fustem inveneris, quo me a tuis disputationibus abigas*. Admisit tandem tam cupidum doctrinae discipulum Antisthenes, et eum maxime amavit.

CAPUT V.

DOCTUS INDOCTO MULTUM PRAESTAT.

1. Accessit ad Aristippum philosophum paterfamilias, rogavitque, ut filium suum susciperet erudiendum. Quum vero ille pro mercede petiisset quingentas *drachmas*: pater deterritus pretio, quod ignaro avaroque homini nimium videbatur: *tanti*, inquit, *emere mancipium possum*. Tum philosophus: *Eme*, inquit, *et habebis duo*.

Alius paterfamilias quaesivit ab eodem Aristippo, quid commodi consecuturus esset filius suus, si eum litteris institui curaret? Si nullum alium fructum percipiet, respondit ille, hunc certe, quod in theatro (cujus tum erant sedilia marmorea) non sedebit lapis super lapidem. Hoc gemino responso innuebat vir prudens, eos, quorum ingenium excultum non fuisset, similes videri posse aut mancipiorum, aut lapidum. — Tantumque doctrinae tribuebat, ut interrogatus, quodnam discrimen esset inter homines doctrina exultos, et indoctos? responderit: *Idem, quod inter equos domitos et indomitos*.